

Michael Cobabus Johann Joachim Stever

Disputatio Secunda De Felicitate Civili

Rostochii: Richelius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729612767>

Druck Freier  Zugang



R U phil. 1644.

Michael Coburger. Preis.

Johann. Joach. Stever. Rep.

In Nomine SS. Trinitatis

DISPUTATIO SECUNDA

De

FELICITATE
CIVILI

Quam

Assistente Divina gratia

*Consensu amplissima Facultatis Philosophicae
in alma ad Varnum Academia.*

SUB PRÆSIDIO

M. MICHAELIS COBABI

Sternbergâ-Megapol.

Publica disquisitioni subjecit

JOHAN-JOACHIMUS STEVER

Rostochiensis.

In Auditorio Majori ad diem ²³ 16. Novembr.

horu matutinu.



ROSTOCHII

Literis Johannis Richelii, Sen: Typ.

ANNO M, DC, XLIV.

In Nova 22 Thoma

DISPUTATIO SECONDA

DE

FELICITATE

QUIVIT

QUIVIT

Abbas Di...

Collegio...

in...

sub...

M. MICHAELIS COBARI

...

...

JOHANN-LORENZ STEUER

...

In...

...

ROSTOCKI

Lit...

...

DISPUTATIO II.

DE

Felicitate Civili.

I. **Q**uandoquidem in præcedenti Disputatione perpeximus illa . quæ in proœmio Philosophiæ Civilis declaranda erant; Ordo & series rerum postulabit, ut nunc ipsam tractationem aggrediamur, illaque sedulo perpendamus, quæ ad præsentem disciplinam pertinere videntur. Exordientes igitur ab illa parte, quæ est cognitionis principium, & hoc loco dicitur felicitas civilis, vel summum bonum, principio solliciti sumus de illius Existentiâ: ubi quaritur an in hac mortalitate sub Sphæra Lunæ ejusmodi felicitas civilis reperitur. Videntur enim illud negare 1. sacra dogmata, quæ hominem in hoc infirmo univèrsi puncto vitam agentem esse instar fumi, umbræ & floris, testantur 2. Christiani, qui conjicientes oculos in omnes mundi angulos, & videntes optimam hominis vitam perire in laborem & dolorem, omnemque hujus mundi gloriam perire instar floris in prato florentis, haut dubitant exclamare cum illo, qui divitijs & sapientiâ omnes Reges terræ superabat: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. 3. Ethnici sapientes: Silenus videns quot quantisque malis undique contaminata esset vita mortalium, optimum judicabat esse, aut non nasci, aut quàm occissime aboleri. Homerus humanæ vitæ calamitatem perpendens inquit. *ἔδεν ἀκιδνό-
τερον γαῖα πέσει ἀνθρώπων*: cui facile ad stipulabantur Pinda-
rus. Solon & magna sapientum caterva. Ille agebat *πᾶς ὁ ἀνθρώ-
πῳ ἕμφορὰ καὶ σκιάς ὄναρ*: Hic Cræso respondebat quòd
nemo beatus dicendus esset, dum hanc vitam viveret. 4. Quotidia-
na experientia. Erenim quis non videt, quando civitates, Provinciæ,
& Regna evertuntur, quòd totum caput langueat, & totum cor
agrotet,

ægroret, imò à planta pedis usque ad verticem nihil integri in illo reperiatur. Quidam cum Cicerone dicunt; utinam salvis rebus (sic enim dicendum est, quando tanta est omnium rerum amissio, & desperatio recuperandi) colloqui potuissemus inter nos, profectò aliquid opis occidenti Reipublicæ tulissemus. Multi ignorat non tantum quid sperent, sed etiam quid optare audeant: Nonnulli quando nihil videntur opitulari Reipublicæ, omnem adhibent operam, ut sibi metipsis consulere possint; non ut aliquid ex pristino statu retineant; sed ut quàm honestissimè lugeant. Multi tot miseriis, angustiis & calamitatibus sunt obnoxii, impliciti, & involuti, ut facilius solem, media nocte supra Horizontem existere arbitrentur, quàm in tantis angustiis felicitatem quandam reperiri.

II. Quæ omnia facile evincerent, nullam dari in hac mortalitate felicitatem, nisi homini, qui parvus est mundus, concessum esset principium optimæ vitæ, quod est ratio, vel mens, eumque in maximâ rerum tempestate, & perturbatione, imò in perpetuis tenebris Reipublicæ deceret honestissimè lugeere. Causas harum calamitatum proximas studet invenire Physicus, & Philosophus, civilis: Ille antiquitatis testimonio trecenta morborum genera enumerat, quibus accesserunt & indes accedunt ignotæ novæque species, eorumque causas proximas ostendere laborat: Hic animorum morbos, qui non solum auferunt animi tranquillitatem, sed etiam saepe infamiam adferunt, & totum vitiant animum, prolixè enumerat, atque describit. Theologus autem solus causam remotam, & primam omnium infelicitatis demonstrat.

III. Felicitas autem quæ post imaginem divinam amissam manet, non est exacta, absoluta, omnique ex parte perfecta, quæ contineat omne illud, quod potest homini advenire; sed cù certa restrictione & contractione accepta, quatenus est illud extremum & ultimum, ad quod omnia bene vivendi, recteque faciendi consilia, omnesque actiones sunt referendæ, quodque est sapientum, qui naturam, optimam ducem tanquam Deum sequuntur, e que parent, ut honestatis regulæ, quando illa agunt, quæ conveniunt rationi & naturali iudicio, quod homini à creatore est inditum, & post lapsum relictum: Quomodo illud Paulus testatur, Rō. 2, v. 14. & 15. Etsi enim
hanc

hanc felicitatem quis sibi acquireret; illamque diu possideret; nihil tamen calamitatum & afflictionum tempestate ingruente haberet, in quo tranquillo & pacifico animo firmiter acquiesceret. Cicero- nem & Sulpitium, qui nemini concedebant, ut majorem ex pernicie & peste Reip. molestiam traheret, poterant quidem multa consolari; sed quidem ab initio ætatis omnium doctrinarum studiosi fuerant, omniaque quæ à sapientissimis ad bene vivendum tradita erant, summo studio atque curâ didicerant. In illis autem firmam, & constan- tem requiem non inveniabant dicentes: His temporibus, quibus nos maximè consolatur conscientia rectorum consiliorum, habemus aliud nihil, in quo acquiescamus.

i V. Talis felicitas non est illa, qua fruuntur in hac vita Chri- stiani; qui meditantur legem Dei nocte ac die. Nam hi beati dicun- tur ab illa beatitudine ac felicitate, quæ est firmior atque melior. cum illis persuaserit celestis Philosophus, æternam felicitatem esse paratam omnibus instar militis Christiani fortiter & perseveran- ter pugnantibus. Quæ spes tantam habet vim (uti Sacræ Scripturæ ductu Erasmus inquit) ut in maximis etiam malis seruet, ac tueatur alacritatem animi sibi bene conscii, præsertim cum hic interim adsit Arrabo ille mirificus & arcanus, qui, quicquid habet hæc vita sellis, vertit in mel. Cæterum alia quoque felicitas est illa, quæ sequitur hanc vitam multis malis obnoxiam. Nam hæc est ineffabilis, est op- tima, est firmissima: Hanc oculus non vidit, neque auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se, cum hæreditas nostra conservetur in cælis, & vita nostra sit abscondita cum Christo in Deo, qui erit omnia in omnibus. Nam quemadmo- dum infans adhuc in matris utero conclusus lucis pulchritudinem ignorat; sic quoque nos, quamdiu hic peregrinamur in valle tristi- tiæ, & lachrymarum, multis tenebris inclusi nihil perfecti & solidi de materia & forma futuræ felicitatis proferre possumus. Quomo- do enim illud ascenderet in linguam, quod hæcenus in nullius ho- minis cor ascendere potuit, & videtur duntaxat per speculum in ænigmate, cujusque bonitas omnem mensuram & æstimationem longissimè superat, unde Augustinus inquit, bona vitæ æternæ tam

multa sunt, ut numerum; tam magna, ut mensuram; tam pretiosa, ut
astimationem omnem excedant.

V. Existentiâ & æquivocatione felicitatis cognitâ, progredi-
mur ad illius definitionem, quæ explicatur i Per ἀγορῶν ut remo-
veantur illorum sententiæ, qui hîc minus rectè sentiunt. 2. θεῶν
ut appareat, in quoniam felicitas civilis sit collocanda. Non autem
situm est summum bonum in divitiis, siquidem divitiarum abun-
dantia non tollit hominis miseriam; (nam

Non opibus mens hominum curæq; levantur
inquit Tibullus) sed potius illam sapissime auget. Nam quis avarus
(ut aliorû miseriam ex divitiis ortâ prætereamus) non sollicitus est,
ut suam servet aulam bene absconditam, & variis locis absconditam:
Euclio pervigilat noctes totas, & quasi claudus sutor domi sedet
totos dies, Si domo egreditur, vix egressus inquit: Nunc domum
properare propero; nam egomet sum hic, animus domi est. Ira au-
rum quod est materia laborum periculum possidentium, & ener-
vatio virtutum, plurimis modis sollicitat miserum.

VI. Quemadmodum divitiæ non auferunt hominis mise-
riam, ita quoque multoties sunt periculosa & pernicioosa; nam
Sæpe solent auro multa subesse mala:

Sicuti bonis aurum est adjumentum virtutis; ita improbis est illius
impedimentum, Aurum inferi peregrinos mores, & tetram parit
voluptatem; Aurum fidem tollit, justitiam vendit, legem sine pudore
violat, curiam pauperibus claudit, omnemque pietatem vincit,
Unde Horatius.

*Omnî enim res
Virtus, Fama, decus, divina, humanæq; pulchritudo
Divitiû parent, quas qui construxerit ille
Clarus erit, Fortis, Justus, Sapiens, etiam & Rex
Et quicquid volet.*

Qui igitur opes addit viro malo, cui sunt thesaurus, & irritamenta
malorum, calamitatis viaticum, & improbitatis suppeditatio: is fe-
bricitanti ministrat vinum, bilioso mel & Coeliacis obsonia. Hinc
olim honestum erat, divitias contemnere (quanquã hodie non in-
honestum

honestum & turpe esse multi arbitrantur, argentum abscondere, charitatis officia proximo suo turpiter denegare, illudque sibi soli, suæque familiæ tenaciter servare) Nihil honestius est inquit, Cicero lib. 1. offic: magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas: Si habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre & lib. 3. offic: Divitias contemnere & pro nihilo ducere magni animi & excelsi est: Quippe quæ sunt inconstantes, & interdum malè partæ, atque violentæ. Aristippus necessitate urgente illas in mare conjicit, & qui hodie se Cræsum esse judicat, is cras potest omnium esse pauperrimus.

VII. Cæterùm si in divitiis summum bonum esset positum, sequeretur, quòd consisteret vel in divitiis naturalibus, quæ sunt ea, quibus primò succurritur indigentia humanæ; ut est cibus, potus, vestimentum &c vel in divitiis artificialibus, quæ secundariò vitam juvant; quatenus earum beneficio naturales acquiruntur, ut sunt nummi & aliæ divitiæ huc pertinentes. Jam autem collocatur neque in divitiis prioribus; neque in posterioribus: quia illæ propter humanæ vitæ sustentationem à natura factæ sunt instrumenta necessaria: Hæ non propter se, sed propter bonorum naturalium acquisitionem imprimis comparantur. Summum bonum autem non est instrumentum, sed finis ultimus, qui propter se expetitur.

VIII. Neque decet felicitatem hanc collocare in honore, quòd nihil est inconstantius: Siquidem illi quos Fortuna in summa provehit sæpe repente corruunt. Quam dignitatis & honoris inconstantiam multi belli Duces, multi Principes, multi Reges, imò Imperatores & integræ Respublicæ effugere haut potuerunt. Quod in aprico erit si quis conjiciat mentis oculos in antiqua rerum monumenta & in præsens tempus revocet mutationes istas, quæ olim videbantur esse impossibiles. Reges pedibus conculcantur, ferro extinguuntur, & quoque ad arbores suspenduntur Belli Duci, cui populus vicatim statuas erexerat, cui thure & vino Romanus populus supplicabat, crura effringuntur, oculi eruuntur & manus amputantur. Quæ ex Regio genere originem ducunt, illæ in quodam loco desponsæ sunt bubulco & opihoni In Republica illa, quæ olim erat

erat optima, & florentissima, aliquando nullum reperiebatur mem-
brum, quod non esset fractum, & debilitatum. Nam circumspicie in-
quit Cicero omnia membra Reipublicæ, quæ notissima sunt tibi,
nullum reperies profectò, quod non fractum debilitatumque sit.
Prudentes, quorum vita perspecta erat in rebus honestis atque ma-
gnis agebant: Si dignitas est bene de Republica sentite, obtinemus
nostram dignitatem: Sin autem in eo dignitas est, quod sentiamus,
aut re efficere posse, aut denique libera Oratione defendere, ne vesti-
gium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis, agiturque præcla-
re, si nosmetipfos regere possumus, ut ea, quæ partim jam adsunt,
partim impendent, moderatè feramus: Quod est difficile in ejusmo-
di bello, cujus exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera servi-
tutem. Si igitur flores non amittunt suam pulchritudinem & su-
mus in aere non evanescit, concedendum est, honorem & dignita-
tem esse felicitatem quandam, quæ etsi videtur esse splendida, mul-
tistamen est dura & molesta miseria, quæ non sanat corpus, neque
animum consolatur: Multis, & quidem illis, qui pessimè sua digni-
tate abutuntur, est via, quæ tendit ad æternam ignominiam; quod
enim non suum est, & propter virtutem erat expetendum, illud na-
turæ resistentes, suum faciunt, & sine omni virtute pessimè pos-
sident.

IX. Negligitur quoque hoc loco voluptas, quæ omnium ma-
lorum mater est, & nulla ratione concedit, ut in suo Regno virtus
consistat; Nam qui voluptati debitus est, inquit Cato, huic omnia
sensu non ratione sunt judicanda, eaque dicenda optima, quæ sunt
suavissima. Voluptas rationi est inimica, ac mentis perstringit ocu-
los, nec habet ullum cum virtute commercium. Quam ob causam
Prudentes voluptatis ministris denegant optimo jure omnem salu-
tarem administrationem. Quis enim illius fidei committeret fun-
ctionem publicam, qui nihil altum ut Cicero inquit nihil magni-
ficum ac divinum suscipere potest, qui suas omnes cogitationes
abjicit in rem tam humilem & contemptam, cui si quis à pueritia
se dederit, manebit in servitute, ut vivens sit mortuus; Quæ mors
nunquam potest esse sine maximo mœrore, nam

Ita

Ita quoque comparatum

Est in ætate hominum: ita Dijs placitum: voluptati
(ut mæror

Comes consequatur:

Inquit Plantus in Amphitrione. Et Horatius

Noceat empta dolore voluptas.

Causam hujus doloris ostendit Ovidius, dicens:

Impia sub dulci melle venena latent.

Lysimachus post haustum frigida aqua, quâ sitim expleret, dicebat:

Dii boni quam brevis voluptatis causa, quantam deposui voluptatem. Quem dolorem potius alii sentirent, qui cœcitati immersi voluptatem quotidie exoseculantur, & antequam, quæ erat Rerum publicarum ornamentum salutare, non sine ingenti omnium rerum lapsu & ruina turpiter negligunt, honestatem; nisi voluptas semper sui famem haberet, & alimentis perpetuis ignoraret impleri.

X. Porro non statuendum est cum Stoicis, quod summum bonum consistat in virtutis habitu. Quia hic non est finis ultimus, neque propter se, sed propter actiones probas expetitur, simulque includit potentiam quandam, vel aliquid imperfecti, quod per actum vel actionem removetur. Hinc actiones virtutis potiores sunt ipsâ virtute in se consideratâ, & magis expetuntur, quàm habitus. Unde Aristoteles in magnis Mor. cap. 3, inquit: Atque usus magis expetendus quam habitus: Usus autem hujus finis est: Nemo enim velit visum habere, si non sit visurus aliquando, sed oculos oculos gestaturus. Eodem modo res de auditu se habet, & similibus. Quorum ergo & habitus, & usus est; semper melius quid, & expetibilis est usus habitus: Usus enim & actio sunt finis, habitus autem propter usum est. Jam autem summum bonum tanquam ultimus finis propter se expetitur, & est illud, quo nihil est potius: Proinde non potest consistere in virtutis habitu. Insuper, si conceditur, quod dormiens quamvis virtutis habitu sit præditus, probus tamen ab improbo, felix ab infelici in somnis nos internoscatur, concedendum quoque est, summum bonum non esse virtutis habitum.

D

XI. Tan-

XI. Tandem felicitas non potest consistere in eo, cuius defensor fuisse dicitur Plato; dum statuisset, quod, sicuti omnium rerum singularium darentur ideae universales; ita quoque omnium bonorum daretur communis quaedam idea, sive forma essentialis, quae seorsim per se alicubi existeret, cuiusque boni contemplatio esset hominis summum bonum vel felicitas. Quae sententia, etsi nunquam Platonis fuisse dicitur ab illis, qui statuunt, quod per ideam boni intelligatur ipse Deus: ab Aristotele tamē lib. 1. Nicomach. & alibi certis argumentis refutatur, quibus praemittitur modesta excusatio, quando ostenditur, quod veritas modestē sit praeferenda Philosopho, qui propter illius sanctitatem sua quoque saepe refelleret, ne is apud sapientes malē audiret, qui praecipua de moribus propositurus, Praeceptorem & amicum parum modestē refutare haut dubitaret. Reliquis sententiis de summo bono omissis (plures enim adhuc possent addi siquidem Augustinus lib. 19 de Civitate Dei dicit Varronem annotasse, suo tempore fuisse circiter ducentos octoginta octo opiniones Philosophorum de summo bono: Et Cicero in libris de finibus bonorum affirmat, quod de nulla quaestione major etiam inter summos viros fuerit dissertatio quam de ea, quae quaeritur, quamnam res hominis sit summum bonum.) progredimur ad thesiam, & dicimus cum Aristotele: Summum bonum est operatio animae rationalis, secundum virtutem optimam, & perfectissimam in vita perfecta.

XII. Dicitur primò operatio. Non enim felix & beatus quis dicitur à qualitate; sed ab operatione. Quod etsi falsum esse videtur, si externam vocem consideramus, & dicimus, felicem aliquem nominari ab actu, qui est qualitas; constat tamen quod felicem esse hic non significet qualitate praeditum, sed aliquid agentem, quando exprimitur per rectē vivere & bene agere; Operatio autem haec 1. est permanens, non seorsim sumpta, sic enim est transiens; sed conjunctim accepta, quatenus notat collectionem actionum totius vitae, quomodo etiam actionibus est concedenda permanentia quaedam. 2. Non expeditur propriè, ut compescamus animi affectus; nam ipsa operatio est illa affectuum moderatio. 3. Nun-

Nunquam turbaretur, nisi subjectum illud, quod operatur, esset fragile, & multis malis expositum.

XIII. Quam sententiam non infringit Plotinus Ennead
1. lib. 4. q. 10. ubi dicit 1. Si felicitas ponatur in optimarum actio-
num cumulo; sequitur eam esse aliquid, quod constat ex multis,
quæ jam transierint, & uno tantum, quod adhuc sit præsens. 2. Si
felicitas consistit in operatione, concedi soportet, ut quo plures sint
actiones, eò magis augeatur. 3. Si actiones non ex se; sed habitus
bonitatem largiuntur etiam ipsis actionibus; sequitur summum
bonum non esse actionem, sed potius habitum. Ad 1. Resp. 1.
concedendo, quod felicitas constet ex multis præteritis, & uno præ-
senti. Si enim ipsa vita consistit in perpetuo fluxu, & constat non
tam ex præsentis (quod tantum est vitæ momentum, & punctum si
accuratè loquamur, imo terminus præteriti, & initium futuri tem-
poris) quàm ex præteritis & futuris, quare non idem de felicitate
diceretur. 2. Negando igitur, quod propterea sit habitus virtu-
tis. Ad 2. Resp: Negando consequentiam: aliud enim est rei argu-
mentum, & aliud est illius duratio. Et si igitur conceditur, felicitate-
tem non collocari in unaquaque actione vel in singulis actibus
(uti D. Hornejus ostendit; quando inquit: Deinde non ponit Ari-
stot. felicitatem in unaquaque actione seu in singulis actibus, sed
in omnium collectione: quemadmodum enim senex nemo dicitur
propter hunc aut istum, aut illum annum, quem vixit, si seorsim
singulas sumas, sed propter illos omnes simul sumptos; ita
etiam felix non est quis, quòd tùm rectè egit, aut quòd illo tempo-
re, sed quòd illo & isto & totà vità virtuti studuit. Quare etsi ultra
unam actionem virtutis semper esse altera potest, quæ ei addatur,
ultra ipsam tamen felicitatem nihil est; sicut etiam ultra unum an-
num senectutis esse potest aliud, nec tamen quidquam est ultra se-
nectutem ipsam) Inde tamen non sequitur quod felicitas augea-
tur. Nam quemadmodum non augetur vita; sed extenditur &c on-
servatur, quando multos annos durat; sic quoque non augetur fe-
licitas, sed eò diutius durat, quò diutius fiunt illa, quæ sunt virtu-
tis. Ad 3. Resp. 1. distinguendo inter illud, quo expedite & con-
stan.

stanter operamur, & inter id, quo bene agimus. 2. Negando mi-
norem: Nam 1. habitus non semper largiuntur illud, quo bene
agimus, (hoc enim proficiscitur ex fine, objecto & intentione a-
gentis) sed illud, quo expedite & constanter agimus. 2. Non
semper requiritur ad rei bonitatem, ut ab habitu dependeat, sic
enim nulli actus, qui habitum præcedunt, essent boni, neq; ipse ha-
bitus bonus esset, vocandus.

XIV. Deinde dicitur operatio animæ rationalis à facultate illa,
quæ homini peculiariter præ reliquis animalibus est concessa: cui
potentiæ hominis nobilissimæ, etiam nobilissimus erat adscriben-
dus effectus; siquidem illius beneficio non tantum investigantur
rerum naturalium causæ; sed etiam consultationes & deliberatio-
nes de vita humana rectè instituenda suscipiuntur. Esti igitur
homini concessæ sunt distinctæ facultates, operatio tamen, quæ fit
secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta
non potest esse 1. facultatis vegetativæ; quia hæc neque per essen-
tiam, neque per participationem rationalis dicitur. 2. sensitivæ,
quæ in brutis placet: expers est rationis, in homine autem rationa-
lis dicitur per participationem, quatenus rationale appellatur illud,
quod à ratione dirigitur, & aptum natum, ut ei obtemperet. Est
igitur illa, quæ appellatur summi boni principium principale:
Nam homo est principium internum & completum: Virtus est
principium vel ratio rectitudinis, per quam actio dicitur recta:
Quamobrem in definitione additur secundum virtutem, quo ipso
operatio illa, quæ est summum bonum, distinguitur etiam ab actio-
nibus, quæ absq; virtutis habitu producuntur.

XV. Per virtutem in definitione summi boni non intelli-
gitur 1. Prudentia, quia hæc inter illa refertur, quæ ad certum finem
ordinantur: Summum bonum autem est ultimus finis, ad quem
omnia sunt referenda. 2. Mentis sapientia, agitur enim hoc loco
de summo bono in operatione positio; sapientiæ autem finis est
mera contemplatio operationi opposita: Sed potius virtus inde-
finitè atq; genericè accepta suasque species continens. Optima
autem

autem dicitur à qua aliquis denominatur, quæque in ipso maxime
splendet. Vita perfecta appellatur 1. Propter ætatem, in qua ratio
est efficax, & iudicium constans, & habitus sunt permanentes.
Quam ob causam pueri summi boni non sunt capaces. 2. Pro-
pter tempus, oportet enim ut homo terminum sibi per naturam
præfixum sine impedimento attingat, ante illum multas præclaras
actiones producat, & à virtutis tramite in vitiorum semitam non
exorbitet. Nam cum semel est suscepta beata vita. (inquit Cic. lib.
2. de fin.) tam permanet, quam ipsa illa effectrix beata vita: sapientia,
neque expectat ultimum tempus ætatis, quod Craso scribit He-
rodotus præceptum esse à Solone.

XVI. Quemadmodum igitur una hirundo non facit ver-
nec una dies: ita nec una actio virtuti conveniens, aut breve quod-
dã tempus facit felicem: sed potius requiritur, ut actiones virtu-
tum per omnem vitam continerentur, nihilque de ijs remittatur:
Unde Cic. eodem loco dicit: Neque enim in aliqua parte, sed in per-
petuitate temporũ vita beata duci solet: neque appellatur omnino
vita, nisi confecta & absoluta: neque potest quisquam aliàs beatus esse,
aliàs miser. Et 5. Tusc. Nisi stabili, & fixo & permanente bono bea-
tus esse nemo potest: nihil etiam inveterascere, nihil extinguì, nihil
evadere debet eorum, quæ in vita beata consistunt. Nam qui timebit,
ne quid ex hũ deperdat, beatus esse non poterit.

XVII. Signa felicitatis civilis sunt bona conscientia, & ho-
nesta voluptas: de priori dicitur, quod sit indubitatum iudicium,
& recordatio de rectè cogitatis, dictis, & factis cum iure divi-
no, & humano certò & indubitato consentientibus. Vocatur 1.
indubitatum iudicium: Nam qui sibi bene est conscius, is nun-
quam movetur falsis convitijs, nec æstimat plus ponderis esse in
alieno convitio, quàm in suo testimonio, sed semper, & quo-
cunque loco tacitè recurrit ad interiorem testem, quo infalli-
biliter iudicante de rectè cogitatis, dictis, & factis cum ju-
re divino & humano certò consentientibus, hilari animo in-
quit

Hic murus æheneus esto:

Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa.

Nam

Conscia mens recti fama mendacia ridet.

2. Recordatio rectè cogitatorum, dictorum, & factorum, ab ob-
jecto: Nam bonæ conscientiæ objectum non tantùm sunt rectè
facta; sed etiam rectè cogitata, & dicta. 3. additur cum jure di-
vino, & humano consentientibus, propter normam, & regu-
lam: quia jus divinum & humanum sunt norma, & regula, ad
quam omnia cogitata, dicta & facta sunt exigenda, & exami-
nanda, quæ si conveniunt cum sua norma, non potest, quin in-
de oriatur, bona conscientia, quod igitur aliàs dicitur lex respectu
illius principii, quod omnibus à Deo & natura est concessum, il-
lud, si quis cogitata, dicta, & facta conferat cum principio dicitur
testis infallibilis: Si verò illorum collatione facta addatur quæstio
vel conclusio, iudex rectè appellatur,

XVIII. De posteriori puta voluptate honesta dicitur, quòd sit per-
fectæ operationis subsequens signum: vel subita & non impedita
complacencia ex operatione honesta percepta. Quemadmodum
enim corporis legitima dispositio & venustas est signum sanitatis;
ita quoq; honesta voluptas est signum felicitatis civilis. Hæc dici-
tur signum perfectæ operationis: Non enim est ipsum summum
bonum, vel civilis felicitas, quod notandum est propter illos, quo-
rum quidam illud posuerunt in voluptate, quæ ex proba & hone-
sta actione proficiscitur: Quidam autem simul in voluptate & per-
fecta operatione. Etsi enim nunquam existit summum bonum
absq; voluptate honesta; distinguendum tamen hoc loco est inter
ipsam summi boni essentiam, & inter illud, quod est illius subse-
quens signum, & affectio, quæ quidem arctissimè cum summo bo-
no est conjuncta, nunquam autem cum illo confundenda.

XIX. Neq; Aristoteles (uti nonnulli existimant) statuit, quod
summi boni essentia in jucunditate vel voluptate sit sita: Quod
ipsum sufficienter patet i. ex illius definitione in lib. i. Mor: Ni-
com: tradita: in illa enim, variis & diversis sententiis de summo
bono rejectis illius formalem rationem declarat, quam non in vol-
lup-

luptate; sed in operatione perfecta animæ rationalis, secundum virtutem perfectam, consistere ostendit 4. Ex lib 10. Nicom. cap. 7. ubi dicit, voluptatem copulari, & connecti cum summo bono: Quod igitur connectitur cum aliqua re, illud est aliquid, quod non est de istius rei essentia, cū qua connectitur. Quemadmodum igitur pulchritudo sequitur optimam corporis dispositionem; ita quoq; voluptas honesta summum bonum.

XX. Atque hæc sunt ea, quæ hac vice dicenda erant de felicitate illa, quæ apud nonnullos Ethnicos erat summum bonum. O si nunc iste populus non esset spiritualiter cæcus, qui sibi falsò persuasum habet, quod in luce ambulet. Quid enim est inhonestius, quàm Christianum in virtute exercenda superari ab Ethnico, Beatus esse sine virtute nemo potest dicebat Ethnicus per totam vitam in tenebris ambulans; Et nunc Christianus vult esse beatus, cuius operatio raro, vel etiam nunquam cum honestate est conjuncta. O horrendam & damnabilem illam cecitatem! Quodnam est signum ô homo tuæ beatitudinis! An tibi illam ostendit bona conscientia, vel honesta voluptas? Loquere quæso, & dic, quale sit objectum tuæ conscientia, an bonum vel malum, & ex qua nam operatione tua voluptas proficiscatur. Si iumenta naturæ resisterent & suos limites transgredierentur, cogitandum esset, quod ipsorum facultas sensitiva sit inepta, ut à perfectiori facultate gubernetur. Quod autem illa creatura, cuius facultas communis & sensitiva apta est, ut regatur à perfectiori virtute eiq; obtemperet: imo Christianus, qui non debebat refragari Spiritui Sancto, & fortiter contra quodcumq; genus vitii pugnare, inhonestè vivat: illud nulla ratione potest excusari. Largiter igitur ô homo effunde lachrymas, & remediū quere; Quib⁹ neglectis felicitas tua erit perpetua infelicitas.

Vacuum complendi causa adduntur sequentes quæstiones. à D. Resp.

I.

An Ethica sit distinctè tradenda, & à Theologia segreganda? A.

Quia 1. Finis Ethicæ est felicitas temporalis & civilis: Theologia autè felicitas est æterna & ineffabilis, 2. subjectū Theologia est homo religiosus, & pietati studens: Ethica vero est homo probus, & vitam bone-

bonestam agens. 3. Virtutes Ethica dependent ab intellectu recte judi-
cante. & voluntate rationi sana obsequenti: Theologica autem à pecu-
liari Spiritus S. operatione.

II.

An Ethica in Ethaicorum scriptis tradita Christiano sit utilis A.

Quia 1. est pars Philosophia & Dei donum 2. ostendit, quousq; solius
natura, & sana rationis ductu, homines sibi suaq; natura relicti
potuerint pervenire, simulq; impellit Christianum, ut in virtute exer-
cenda Ethicorum non tantum imitari; sed etiam superare studeat. 3. vir-
tutes, & illarum opposita distinctè exprimit, & declarat.

III.

An mores sequantur hominis temperamentum, & syde-
rum influentias? N.

Etsi enim temperamentum hominū multūm facit ad virtutem ex-
ercendam, & vitia fugienda; syderum vū quoq; magna est in hęc
inferiora corpora, quomodo illorum effectus id satū demonstrat: Inde
tamen non sequitur 1. quod mores sequantur hominū temperamentum,
nisi velimus concedi virtutes non crebris actionibus acquiri; sed potius
subjecto, cui insunt, innasci: omniq; hominū, temperamento voluntati
imperante, agendi libertatem omnino denegandam esse, quod tamē ex-
perientia aliter demonstrat. 2. quod mores sequantur syderum influen-
tias; sequeretur enim quod non tantūm omnū institutio, disciplina, ad-
monitio, & adhortatio esset vana; sed etiam vitiorum causa esset Deus:
siquidem ab illo habent suum esse, & operari; quod tamen nunquam sine
impietate dicitur. Distinguiamus igitur 1. inter corporalia. ex elemen-
tū composita; & inter spiritualia, uti sunt intellectus, & voluntas. 2.
inter causam adequatam & inadequatam; immediatam & sufficien-
tem, atq; mediatam & insufficientem. Quibus distinctionibus pramissis
dicimus 1. temperamentum, stellas, & planetas multūm quidem facere
ad mores hominum, non autem ut causam adequatam, immediatam,
& sufficientem. 2. Planetarum & stellarum vim influere quidē in cor-
poralia non a. in spiritualia vel animam rationalem; siquidem creator
noluit, ut voluntas hominū per stellarum vim cogeretur, sed potius libe-
ra relinqueretur, quod igitur stellā & planetū à primā causa non est
concessum, id quoq; illū non est adscribendum.



